

180.
32

Σὺν Θεῷ δὲχλατῶν τῆς οὐρανίας!

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

De

TRIBUTO LUNARI
MULIERUM
RETENTO,

*Charakter
Original.*

Quam

DEO TER OPT. MAX. CLEMENTER ANNUENTE,
Auctoritate AMPLISSIMI SENATŪS ASCLEPIADÆI,
Imperantiqua Electorali ad Hieram Academia,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO PETRI,

Med. Doctore, Medico Electorali Moguntino, & Erfur-
tenf. Ordinario, Facultatis Medicæ Assessore,
Promotore atq; Preceptore suo sumè colendo,

PRO LICENTIA

Supremisq; in Arte Medica Honoribus, Privilegiisq; Doctoralibus solenniter & legitimè obtinendis

Publico examini submittit

AUGUSTUS ALBERTUS *Bischer*

SCHNEBERGA-MISNICUS,
IN ACROATERIO COELIGO

Die OCTOBRIS

Horis consvetis

ANNŌ M. DC. LXXVI.

ERPHORDIÆ, Charactere KIRSCHIANŌ.

athol. spec.

35, 46

Worbis 2149

VIRIS

*Prænobilissimis, Excellentissimis, Amplissimis, Consultissimis, Expe-
rientissimo, Virtute, Prudentiâ, nec non plurimo re-
rum usu Spectatissimis Dominis,*

DN. D. PAULO Blumberg /

Jcto famigeratissimo, Reipubl. Patr. Consuli gravissimo,
eminentissimo & Practico undiquaque celeberrimo.

DN. CHRISTIANO FRIDE-
RICO Melbern /

J. U. D. longè celebratissimo, Reipubl. Schneebergen-
sis Prætori meritissimo, & Practico Celeberrimo.

DN. JOHANNI CHRISTIA-
NO MACKIO,

Philosoph. ac Medicin. Doctori experientissimo, Physico
Schneebergensi ordinario, ac Circuli ejusdem Electro-
ralis Saxonici Medico Provinciali dignis-
simo, felicissimo.

DN. DANIELI Schilling /

Jurisperito præclarissimo, Civitatis Nivemontanæ
Prætori itidem meritissimo & dexterrimo.

CÆTERISQUE ORDINIS SENATORI INCLYTÆ REI-
PUBL. SCHNEEBERGENSIS ASSESSORIBUS

GRAVISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,

*Dominis Cognatis, Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus atque Fautori-
bus suis magnis, singulari honoris & observantiæ cultu
æternùm colendis, devenerandis,*

Hanc suam Inauguralem Disputa-
tionem Medicam,

*In debite gratitudinis, honoris & perpetuæ
observantiæ monumentum*

Submissè dedicat atque offert

AUGUSTUS ALBERTUS Fischer /
Auctor & Respondens.



I. N. J.



Legans HELMONTII sententia est, quâ monet, mulierem duplicato impetu omnem pertimescere & tolerare morbum, nempe quatenus & homo est & mulier: *Tr. de Concept. §. 18.* Ut pote dum uterus, illa malorum lerna & pravorum humorum sentina, infinite propemodum tragœdiæ, obnoxius jacet. Modò Menses considerabimus, en! acutissimum ensem, qui duplici ictu percussit, imò sæpenumerò jugulat: intellige, quando vel deficiunt, vel excedunt. Nemo nescit, quàm acriter utroque isto Marte valetudo foeminarum impugnetur. *Impræsentiarum de Menstruo deficiente, secundante SUMMO ARCHIATRO, paucissima commentabor.*

I.

§. I. **C**um omnis tractatio, quæ cum ratione suscipitur, principium trahat à definitione rei, de qua agitur, ut præclare innuit CICERO libro de *Officiis*, operæ pretium fore duco, dissertationem hanc, sepositâ brevitatis studiò τῆς τῶν ἐμμένων ἐποχῆς etymologiâ, synonymiâ, & homonymiâ, auspiciari à definitione reali, siquidem ὁρισμὸς μεγάλην ἔχει ῥοπὴν πρὸς τὰ ἐπόμενα. Sit itaque talis: Suppressio mensium est abolita sanguinis

Λ 2

men-

menstrui in foeminis viro maturis p. n. excretio, orta à frustratione facultatis expultricis, à sanguinis vel vitio, vel defectu, vel viarum angustia dependente. Generis loco pono excretionem abolitam, adeoque non incongruè referri poterit ad symptomata actionis abolitæ & expultricis læsæ: quamvis nonnulli cum GALEN. de diff. symptom. cap. ult. & libr. 3. de caus. symptom. cap. 4. inter symptomata eorum, quæ immodicè retinentur, suppressionem mensium numerent. Addidi, præter naturam, quo ipso innuo, non omnem mensium suppressionem esse morbosam, siquidem in gravidis & lactantibus menses deficiunt plerumq; ex Naturæ lege.

§. 2. Ut autem impediti hujus Menstrui fluxus justas causas prius, quàm ejusdem salvi existentis ratio penitissimè perspiciatur, assignare non possumus, non abs re erit, de causis Menstruorum paulisper in antecessum præfari, ut expeditius ipsas methodi medendi leges observare & rem pharmaceuticam in desideratos scopos feliciter destinare queamus.

§. 3. Licet autem unanimi omnium ferè Physicorum & Medicorum consensu comprobatum sit, quòd è singulari Creatoris & Naturæ providentia in sexu foemineo, ubi viro jam maturus est, uberius sanguis & generetur & ad uterum, posteaque ad mammas, efformandi enutriendiq; foetus causâ, feratur, & dum hoc scopo frustratur stator, quod lunæ pro motu menstruum est, (ut cunque versiculus: Luna vetus veteres &c. ab experientia haud rarò confutetur,) tempore, per uterinarum venarum à vasculis effluat; nonnulli tamen hodiè id ipsum non in dubiū saltem vocent, sed palàm etiam inficientur: existimo citra urgens fundamentum illud præ-

præsumi: quapropter mihi haud abs re justum vide-
tur, laudabilibus Veterum hæc insistere vestigiis.

§. 4. Quæ quidem sententia hinc firmatur potius,
quàm subruitur; quo enim tempore foemellis menses
fluere incipiunt, effluvia feminalia spirituosæ, ceu con-
tagium quoddam, sangvinem afficiunt, iisdemque in-
stantibus, hujus fermentatio quædam, in nonnullis
quasi febrilis, sese prodit: eò quòd constante, etiam
receptâ illâ hypothesi, ceu ipsius Naturæ thesi, ejus-
modi sangvinis commotio ad promovendam (dato de-
ficientis imprægnationis casu necessariam,) excretio-
nem & faciat & requiratur. Quanquam tamen inter-
eà sic collecti sangvinis & quantitas & contracta quali-
tas eandem juxtâ promoveat. Ut adeò nequicquam
porrò requiratur, vel disputetur, quare uterina ista
sangvinis evacuatio non sæpiùs multò vel quotidie cõ-
tingat? Potissima nempe ratio & hîc suppetit è spe-
ctando generationis scopo.

II.

SUBJECTUM.

§. 5. **V**as excludendo sangvini patulas ministrant spis-
sè perreptantia vasa Hypogastrica, quæ nu-
merosis osculis in uteri cavitationem hiare Anatomicis
observantur: cumq; rarò comitatu ad uteri vaginam
descendant, *isthinc* tantùm, *binc* non nisi rarissimè men-
strua eluvies expurgabitur. Id quod confirmare vi-
detur dolor, quem imminente fluxu à vasorum hypo-
gastricorum distensione oriundum, lumborum in regi-
one, non autem in vagina, persentire mulieres solent.

§. 6. Certam determinare ejusdem purgationis

quantitatem, quæ in variis subjectis & diverso tempore multum differt, impossibile est. Nihilominus HIPPOCRATES l. 1. de Morb. Mul. eandem unciarum octodecim nostratum mensuram circumscribere audeat.

III.

SUPPRESSIONIS CAUSÆ; CONTINENS,
ANTECEDENS ET REMOTÆ.

§. 7. **H**isce præmissis, ipsæ jam causæ præternaturales, quæ fluxum istum sistere, & inde magnam in vitali republica seditionem inducere possunt, perlustandæ sunt. Proximior est *vel* ipsa uteri dyscrasia, aliavè præternaturalis dispositio, ubi secretus sanguis in regione hypogastrica propter vasorum obstructionem, *vel* in ipsa uteri cavitate, ob ejus clausuram, non raro restagnare assolet. *Vel* sanguinis indispositio, quæ Naturæ ventilationi obsequi, secretricemq; admittere operam renuit.

§. 8. Ista autem indispositio non raro à *plethora* est, ubi præter frustratum hinc (*ἀναλόγως* vocatæ) criseos motum, simul nimius uteri infarctus productus, vasorum p. n. compressiones & angustias necessario infert. Maximè autem & omnium frequentissimè sanguinis seu humoris infarcti frigiditati & visciditati id mali acceptum referendum est.

§. 9. Ista frigiditatis nota variis de causis imprimi sanguini & vitioso id genus humori solet. Aliquando nativa est, & hæreditatis jure gaudet.

Ut plurimum autem causæ procatarticæ & Res dictæ *non-naturales* indecenter usurpatæ istum effectum producant: sic frigida aëris tempestas, quæ corpori
non

non benè munito obviam venit ; vel aquâ infvetas manus, pavimentum nudos pedes frigefaciens, & hoc ipsò penetrabile frigus ad intima sangvinis penetralia usque impingens ; item animi mœrores & repentinæ expavescentiæ &c. præcipuè instantibus, vel fluentibus mensibus supervenientes, præcipuum hîc contribuunt symbolum. Sæpenumerò alimentorum & medicamentorum nimis frigidorum, vel etiam adstringentium, intempestivæ usurpationes in culpa sunt.

§. 10. Hisce præternaturalium causarum terminis circumscriptam Mensium obstructionem sedulò oportet distingvere ab aliâ consveta eorum emanatione, in nimis juvenculis, pregnantibus & plerisq; lactantibus, chronicos item, vel alioqui graves morbos passis, emaciatis, per hæmorrhagias sangvine exhaustis, contingente : Quibus si fluxum Medicus conciliare allaboraret, & Naturæ profectò vim faceret & Arti. Vid. *PETRUM FOREST. hac de re l. 28. obs. 5. & in Scholiis, prolixè & eleganter differentem.*

IV.

SIGNA DIAGNOSTICA.

§. 11. **D**iagnosticis signis, quæ impeditum indicent, fluxum, quem ipsa ægra profiteri potest, opus non habemus: ista tantummodò, quæ affectum nostrum accuratè ab emanatione in pregnantibus consveta, disterminent, inquiramus necesse est. In gravidis, teste *HIPP. l. d. Natur. Puer. tit. 6. p. 137.* rarò dolor, qui caput & hypochondria affligere solet, sentitur, natus corporis color adest, & si quæ urgent symptomata, illa indies magis magisque mitiora evadunt, insuper

per

per gestatio uterina ultra tertium mentem occulta esse non potest, & prægnantibus facies benè colorata est: quæ omnia in foeminis lunare tributum non solventibus observare non licet.

§. 12. In mensium enim obstructione capitis dolores continui & quidem acutissimi, teste CELSO l. 2. c. 7. p. 49. jam pulsantes, jam verò gravativi adsunt: lumborum lancinationes, gravitas totius corporis, tormina inflationesque ventris, cibi fastidium, crebræ vicissitudines caloris & frigoris, respiratio anhelosa, præcordiorum angustia & quæ alia sunt cognata symptomata.

V. SIGNA PROGNOSTICA.

§. 13. Quoad Prognosin, suppressionis à plethora oriundæ facilis est curatio. Ex deficiente sanguine & virium robore per graves morbos enervato si producta est, naturâ denuò refocillatâ, spontè curatur. Quando origo est à vitio sanguinis nimis gelidi viscidique, juxta ac ista qualitas magis minusque impressa, & vel in dispositionis limine, vel habitus ulteriori termino versatur, ita etiam facilè, vel difficulter superabilis est. Si diuturnum est malum, sæpè gravissimi, nonnunquam incurabiles inde propullulant affectus, ut *Cachexia*, *Hydrops*, *Cardialgia*, *Mania*, ut & *Arthritis*, (quod ex HIPPOCR. apb. 29. sect. 6. patet,) item *Vertigo*, *Epilepsia*, *Apoplexia*, &c. De excretionem per insolita loca judico, quòd etiamsi consuetus Naturæ cursus præstet, tamen notam bonitatis quandoque ferat, si per alias quoque vias, id quod nimium & vitiosum est, ex
COR-

corpore expellatur, veluti id HIPPOCR. in sect. 5. aphor. 33. testatur: dicens, bonum esse, si mulieribus menstruis deficientibus, sanguis è naribus emanet.

§. 14. Indicationes curativæ ex præmissis indicantibus facili consecutione derivantur, nimirum, sanguinem egelidum vivido perfundendum calore, torpidum vitalique motu privatum excitandum, viscidum & tenaci pituitâ conglaciatum, resolvendum attenuandumque, plethorâ impeditum inque proxima uteri regione impactum & immobilem hærentem, expediendum & commovendum.

§. 15. Chirurgicum præsidium cæteris præstantissimum venæsectio est. Quæritur autem, quænam secanda sit vena? Communiter laudant Saphenam, quam ideò uterinam & Germanicè ab osculo uteri ita dictam, die Rosen-Ader denominant. Sed ista assertio non adeò universalis est, quin accuratâ limitatione opus habeat. Neque illius sectio prospere succedit, nisi quando à menstrua crisi & fermentationis specifico motu sanguinis genius deficit; tunc in pedibus adaperto vase & sollicitato versus inferiora sanguine, natura sui officii ad istam perpetrandam motionem denuò memor evadit. Et ita quidem hoc solo præsidio legitimè administrato, si cætera etiam interna medicamenta dextrè propinentur, speratissimus non potest non subsequi lætæ curationis eventus.

§. 16. Ex adverso, si massa sanguinea, dum in fermento critico jacet, nimio turgescit orgasmò, vasa omnia distendendo sibi ipsi repagula motus objicit, & criticæ separationis indubitata præcessere si-

B

gna,

gna, nimirum alternantes frigoris & caloris vices, simulque dolores tensivi, pulsatorii, gravativi, præcipuè in hypochondriis, anxietates & respirationis difficultates in præcordiis comitantur, procul ambiguo ex ebullitione aucta plethora adest, quæ saphe-næ intempestivâ institutâ sectione vix minuitur, brachiali autem referato vase unâ quasi falce demetitur, fluxu menstruo intra viginti & quatuor horarum spatium nonnunquam redeunte: Id quod ANTHONIDES von der Linden / ejusque PARENS cum expertissimo TULPIO, quemadmodum ille in *Manuscripto Collegio in Hartmannum* testatur, non semel experti sunt. Venæsectionis vicaria est Scarificatio: quò pertinent hiru-dines, fonticuli, frictions.

§. 17. Rei pharmaceuticæ magnum catalogum, qui ubique librorum prostat, hîc recensere & adscribere supersedeo, selectiora tantummodò, & quæ quotidianus usus de meliori nota commendat medicamenta, laudaturus: Et quidem, quæ massam sangvineam ab excrementitia saburra, affectûs nostri indivulso comite, egregiè liberant, magni æstimantur. Pilulæ aloëticæ, quas resinæ jalappæ stimulo acuerè, Mercurii dulcis penetrandi & attenuandi virtute polentis additamento exaltare licet; item extracta hysterica appropriatis dotibus insignia; Salia volatilia & fixa abstergente acoremque stipticum præcipitante, qualitate nobilitata, feliciter hûc conferent suum.

Πηλοειδον μέρος.

§. 18. Inter specifica alterantia & aperientia militare possunt Tinct. Castor. cinamomi, Croc. Oriental.
Anti.

Antimonii, Martis, Tartari, Effentia lignor. mixtura simpl. Elixir. propr. cum sp. sal. Armoniac. præparatum, uterin. Croll. spir. aper. Penot. olea aromatica, cinamom. caryophyllor. succin. sabinæ, myrrhæ, &c. Elixir. ad menses D. Michaëlis, felicissima ejusdem & aliorum praxis jamdudum commendavit. Salia volatilia, v. gr. succini, C. C. & sim. ut & Sal. Armoniac. præcipuè si cum Spir. vin. oleosa facta, & insuper appropriatorum simplicium virtutibus imprægnata sunt, utramque adimplebunt paginam.

§. 19. Pro cujusvis palato infusa ex Zedoaria, Galanga, Caryophyllis, Cinamomo, *foliis* sabinæ, melissæ, artemisiæ, menthæ, salviæ, *floribus* calendul. *lignis* saffras, gvajaco &c. concinnari possunt, quæ limatura chalybis sive ferri non ineleganter ingreditur; Salia vegetabilium fixa, quatenus singulari, quam supra laudavi, virtute hûc faciunt, ut nimirum extractiones expeditius fiant, optimè hîc consociantur.

§. 20. Nec excludenda sunt diaphoretica, quæ succedente sudore sangvinem movere, eumque fluxiliorem reddere possunt: valet hîc mixtur. simpl. cum spir. lign. sanct. in aqu. artemis. vel decocto cicer. rubror. exhibita: ut & supra memorata volatilia, eò magis profectura, si post eorum usum externo Laconico sudor promoveatur.

§. 21. Diuretica magnum promittunt levamen. Nec confortantia, quibus specifica commodè admiscantur, negligenda: horum pleni sunt Practicorum libri.

§. 22. Inter externa præsidia nobilem usum obtinent

nent balnea: ea ex herb. artemis. mercurial. meliss.
majoran. sabin. nepeth. matricar. flor. cheir. chamo-
mill. sambuc. lil. alb. rad. bryon. levistic. rub. tinctur.
bacc. juniper. laur. concinnari possunt: post quorum
usum inferior ventris regio & lumbi oleo cheirino in-
ungi possunt.

§. 23. Hūc faciunt suffitus, qui HIPPOCRATIS judiciō
muliebria educunt *s. s. apb. 28.* resolvunt enim & reclu-
dunt vasorum coñiventes extremitates, ut innuit GA-
LENUS in *comment. Hipp.* Conflantur ex succin. myrrha,
styrac. calamit. sabin. & sim. Commendatur à non-
nullis vapor lixivii ex fecibus reguli antimonii parati
per infundibulum in uterum immissus. Pessis & cly-
steribus uterinis qui in maritatis uti volet, à januâ non
aberrabit.

§. 24. Diætaria regula nimium acidorum prohi-
bet usum, frigidioris & humidioris aëris tempestatem
culpat: fructus fugaces, & omnes cibos viscidos, glu-
tinosos, & flatulentos exesse jubet: potūs bonæ notæ,
ex. gr. Cerevisiæ benè defecatae, tenuis, & vini absin-
thitis seu alterius medicati moderatum usum; motūs
& quietis; fomni & vigiliarum mediocritatem; animi
καταστάσεων debitam coërcitionem; & in excretis & re-
tentis bonum regimen unicè commendat: virgini-
bus demùm nubilibus, hâc labe pressis, ut quam-
primùm maritali jungantur tho-
ro, suadet.

SOLI DEO GLORIA.



Pulchrū est, pervigilem doctis impendere mentem
Assiduè studiis! Otia turpe nefas!

Qui sapit, exercet studium; fugit otia; nam artes
Discat ut ingenium, cura laborque juvat.

Num sapias AUGUSTE? sapias; fugis otia; doctum
Exerces studium; pervigil artis opes

Piscaris Medicæ. Mirum! quod MENSTRUA tantum
TE cobibere probes, qui mala cuncta probe

Arte Machaoniâ didicisti pellere? verum
Ex solo totus noscitur Ungve Leo.

Perge! salutiferam Tibi mox submittet Apollo
Laurum, quâ multas accumulabis opes.

Hisce festinè adgratulab.

Nob. Expertissimoque Dn. ALBERTO AUGUSTO Fischer / Artis Medicæ Doctorando, pro indispiscenda Laurea Doctorali publicè disputanti in Universitate hac Electorali

JOANNES JODOCUS HUNOLD,
S. Theol. D. & P. P.

Perge fidens animi, nec Te subiisse labores
Poeniteat, namque hos præmia digna manent.

Perge, Machaonio in pelago piscator honores!
Retia si quæras? Spondet Apollo Tibi.

Honoris ergò Nobilissimo Dno Doctorando bis applaudit

JOANNES MAURITIUS GUDENUS,
J. U. D. & P. P. Eminentissimi Electoris Moguntini Consiliarius &c.

Imo

Impiger æquoreas currit Piscator ad undas,
squamigeris tendens retia pisciculis:
Capta venit tandem fallaces esca per hamos,
quæ facit, ut gratys sit maneatque labor:
Te, FISCHERE, rapit Medicum mare, quæris in isto
nisibus assiduis, quod tibi dulce sapit.
Auriferum tripodem piscando parâsse Colonos
Coi, fama refert, pro hospite Milesio:
Quem cum Thaleti misissent atque Bianti,
Delphicus hocce tamen munus Apollo tulit.
Tu majora capis, Coô præeunte, brabéa:
ut benè cedat opus, mente manuque precor.

αυραγεδ.

GEORGIUS CHRISTOPHORUS PETRI, D.
Med. Electoral. Mog. & Erfurtens.
Ordinar. Facult. Med. Assessor.

Quos **TIBI** profectus indulsit in arte medendi,
Non sine Divini Numinis auxiliis,
Lipsia principiô, nunc tandem clara Gerana;
Hos præsens specimen nobile abundè probat.
Hinc TIBI, FISCHERE, adeptos jam grator honores:
Succedat praxis, mente animoque precor.

*Hisce Nobilissimo & Clarissimo Dn. DOCTOR-
RANDO, Amico suo in paucis charissimo,
gratulari voluit*

JUSTUS VESTI,
Med. Licent.

Wie

Wie? Sieht im Herbste man noch frische Blumen prangen?
Es lächelt Flora nicht/ wann ein erboster Sohn
 Des Arols Ihren Schoß mit Stürmen wil umfassen/
 Wann Reiff und Nebel wil verdüstern ihren Thron.
 Und gleichwol darffst du dich/ Hochwerthster/ unterwinden/
 Ist da der Winter schon fast auf die Schwelle schleucht/
 Noch einen netten Strauß von Blumen uns zu binden.
 Ha; Ungemeines Werck/ das uns unmöglich deucht!
 Du bist ja kein Albert/ und keine weise Frauen
 Hat ie zum Unterricht dein frommes Herz erwählt/
 Du hast dich nie im Nest des Simons lassen schauen/
 Und Faustum hat man nie im Bücher-Schranck gezehlt.
 Drumb weil natürlich sind die istgezeugten Blumen/
 Laß was genauer uns dieselben schauen an/
 Ob sie uns zugeschickt das nette Land Idumen/
 Ob oder man sie auch in Deutschland haben kan.
 Du gibest uns Bericht: kein einzig Theil der Erden
 Sey an Unfruchtbarkeit von Himmel so verflucht/
 Da nicht in grosser Zahl sie solt gefunden werden/
 So gar/ daß meistens sie auch käme ohngesucht/
 Doch aber stecke sie in holden Anmuths-Rosen/
 Die ofters Idalis Göttinnen gleich geschmückt;
 Wer nun glücklich könt mit dieser Ros liebosen/
 Dem hab die inn're Blum oft das Concept verrückt/
 Weil dieses Sachen sind/ die nach Geheimnis schmecken/
 Die Gottes weiser Schluß also geordnet hat/
 So lassen wir sie auch in ihren Schrancken stecken/
 Verwunderen uns bloß ob Gottes hohem Rath:
 Ich aber freue mich/ daß du dich unterwunden/
 Hochwerthster/ dieses Werck gelehrt zu führen auß.

Ich

Ich bin dir wegen Treu und Freundschaft so verbunden /
Ist was zu setzen auf / daß sich nicht kehrt in Grauß.
Allein weil alls verlescht der nasse Schwamm der Zeiten /
So können Worte auch kein ewig Denckmal seyn ;
Drumb nimm den kurzen Wunsch / den ich dir kont bereiten /
Und dencke / daß das Herz weit mehrers schlüße ein.
Du steigst ietzt auf die Burg der hochgepriesnen Ehren ;
Es müsse Glück und Heil auf beyden Seiten stehn !
Daß künfftig man von dir höchstrühmlich möge hören :
So kan Herr Fischern izt Machaons Kunst erhöhn !
Und wie mich dünckt / so schau ich auf den goldnen Höhen /
Wo edle Weißheit man mit Palm und Lorbern schmückt /
Dich in beblühmter Pracht und schönsten Zierath stehn.
Ach daß die Stunde doch bald glücklich wär erblickt !

Dieses wenige setzte dem Herrn Do-
ctorando, als seinem alten hoch-
schätzbaren Freunde

L. R.

DUm reseras obstructa, Tibi sic limina honoris
Pandis, & insignis splendes fulgore Tiaræ
Purpureæ: grator, grassantibus undique morbis
Præfaciles aditus obstrue: Vive diu!

*Pauculis bisce Clarissimo Dn. Doctorando, Amico
suavissimo, pro gradu doctissimè disputanti ani-
mum gratulabundum offerre vult*

**JOH. ALBERT. ab Heugel/
Eq. Siles.**

F I N I S.